

Stephanus Galdeti

*Secunda epistula magistri Nicolai
de Autricort ad Bernardum*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Secunda epistula magistri Nicolai de Autricort ad Bernardum**

Reverende patre, fratre, Bernarde, subtilitatis vestre profunditas admiranda menti mee merito reddentia, si scirem vos habere evidentem
5 notitiam de subiectis abstractis et nedum si scirem verum etiam si in animo levi credulitate tenerem. Et non solum si estimarem || vos habere veram notitiam de abstractis, verum etiam si de coniunctis. Idcirco vobis patre affirmanti nos habere evidentem notitiam de scibilibus sic
10 altis volo animum meum dubium et anxium aperire quatenus habeatis materiam trahendi me et alios ad consortium sic magistrorum.

P2 39v

Et primum quod occurrit in ordine dicendorum est istud principium: contradictoria non possunt simul esse vera. Circa quod occurrunt duo. Primum est quod istud est primum principium negative exponendo quo nichil prius.

15 Secundum quod occurrit est quod istud est primum affirmative vel positive quod est quocumque alio prius. Et hec duo probantur uno medio sic: omnis certitudo a nobis habita resolvitur in istud principium et ipsum non resolvitur in aliquod aliud sicut conclusio in principium suum, igitur sequitur quod ipsum est principium duplici primitate. Consequentia
20 nota est ex quid nominis. Huius nominis principium secundum utrumque acceptationem datam. Antecedens probatur quoad duas partes. Et primo quantum ad primam partem, scilicet quod omnis certitudo nostra citra istam certitudinem resolvitur in istud principium de quo tu dicis te esse certum. Proponam istam consequentiam: possibile est sine alica
25 contradictione que exinde sequatur quod apparebit tibi sic esse et tamen non sic erit, igitur non est certus evidenter quod sic sit. Clarum est michi quod si admitterem antecedens esse verum quod ego concederem consequentiam esse veram, et per consequens non essem simpliciter evidenter certus de quo dicebam me esse certum.

30 Ex hoc clarum est quod in nostrum principium dictum omnis nostra certitudo resolvitur et ipsum non resolvitur in aliud sicut conclusio in

1–2 secunda epistula — Bernardum] *in marg. sup. P1* 1 secunda] ultimo sisterno infra quinto Bernardi ad Nicolaum *add. in marg. sup. P1* 5 de] *iter. P1*; substantiarum *add. sed del. P1* 6 si] et *P2* 11 et primum] primum occurens *add. in marg. P1* est] istud *add. sed del. P1*; *om. P2* 13 quod] *sup. lin. P1* est²] verbum primum *add. sed del. P2* 15 secundum] secundum occurens *add. in marg. P1* 16 et] *p. c. sup. lin. P1*; ex *a. c. P1*; *om. P2* 19 primitate] *e add. sed del. P2* 21 acceptationem] expositionem *P2* 23 istam] *p. c. sup. lin. P1*; ipsam *a. c. P1* dicis] esse *add. sed del. P2* 24 proponam] propono *P2* 26 igitur] *iter. P2* 30 nostra] *la add. sed del. P2* 31 et ipsum] in ipsum et *P2*

principium patet ex hoc quod omnia resolvuntur in ipsum ut dictum est. Et sequitur istud est prius omni alio quod non est ipsum, ergo nichil est eo prius. Et ita primum est duplici primitate supradicta.

5 Tertium quod occurrit est quod contradictio est affirmatio et negatio unius et eiusdem etc. ut solet communiter dici.

Ex istis infero corollarium, scilicet quod certitudo evidentie habita in lumine naturali est certitudo simpliciter, quia est certitudo habita virtute primi principii cui lex nulla vera contradicit nec contradicere potest. Et ideo quod est demonstratum in lumine || naturali est demonstratum
10 simpliciter nec per aliquam potentiam posset fieri quod oppositum consequentis staret simul cum antecedentes sicut nec alica potentia potest facere quod contradictoria sint simul vera. P2 40r

Secundum corollarium quod infero circa istud est quod certitudo evidentie non habet gradus ut si sint due conclusiones de quarum
15 qualibet sumus certi evidenter non sumus magis certi de una quam de alia, nam ut dictum est omnis certitudo reducitur in idem primum principium vel igitur ille conclusiones eque immediate reducuntur in idem primum principium et ita non unde magis sumus certi de una quam de alia vel una mediante alia immediate. Et adhuc hoc non obstat, quia
20 reductione facta in primum principium eque certi sumus de una sicut de alia ut geometra dicit se esse ita certum de secunda conclusione sicut de prima et ita de tertia et sic de aliis licet propter pluralitatem deductionum non poterit in prima consideratione esse ita certus de quarta vel tertia sicut de prima.

25 Tertium corollarium quod infero iuxta dicta est quod excepta certitudine fidei nulla est alia certitudo nisi certitudo primi principii vel que in primum principium potest resolvi, nam nulla est certitudo nisi illa cui non subest falsum, quia si esset alica cui posset subesse falsum sic ita quod ei subsit falsum, tunc cum remaneat parte ipsa certitudo
30 sequitur quod aliquis erit certus de eo cuius oppositum contradictorie est verum.

Quantum corollarium est istud quod alica forma sillogistica est immediate reducta in primum principium, quia hac demonstrata quero vel est immediate reducta et sic propositum vel mediate, et sic erit
35 processus in infinitum vel oporteret devenire ad aliquam que immediate

2 est¹] *om.* P2 4 tertium] tertium occurens *add. in marg.* P1
6 corollarium] corollarium primum *add. in marg.* P1 10 simpliciter] *p.*
c. P1 quod] *sup. lin.* P1 12 sint] sunt P2 13 secundum corollarium]
iter. in marg. P1 22 ita] *sup. lin.* P1 25 tertium corollarium] *iter. in*
marg. P1 32 quartum corollarium] *iter. in marg.* P1

sit in primum principium reducta.

Quintum corollarium in omni consequentia immediate reducta in primum principium consequens et ipsum totum antecedens vel pars ipsius antecedentis sunt idem realiter, quia, si sic non esset, tunc non esset
 5 immediate evidens quin sine || contradictione. Antecedens et oppositum consequentis possunt simul stare in veritate.

P1 21v

Sextum corollarium est quod in omni consequentia evidenti reducibili in primum principium per quotvis media consequens est idem realiter cum antecedente vel cum parte significati per antecedens. Ostenditur
 10 sic, quia si ita sit quod alica conclusio reducatur per tria media in certitudinem primi principii, consequens erit idem realiter cum antecedente vel cum parte || significati per antecedens per quintum corollarium et similiter in secunda propter idem et in tertia similiter propter idem, et ita sequitur cum in prima consequentia consequens sit
 15 idem realiter cum antecedente vel cum parte significati per antecedens et in secunda similiter et similiter in tertia sit a primo ad ultimum. Sequitur quod in istis consequentiis ordinatis ultimum consequens erit realiter idem cum primo antecedente vel cum parte significati per antecedens.

P2 40v

Iuxta ista dicta posui alias inter ceteras conclusiones unam que
 20 fuit ista: ex eo quod alica res est cognita esse non potest evidenter evidenter reducta in primum principium vel in certitudinem primi principii inferri quod alia res sit inter cetera media que multa fuerunt adduxi istud medium. In tali consequentia in qua ex una re inferretur alia consequens non esset idem realiter cum antecedente vel cum parte
 25 significati per antecedens, igitur sequitur quod talis consequentia non esset evidenter nota evidenter primi principii descripta. Antecedens est ab adversario concessum et positum. Consequentia apparet ex descriptione contradictionis que est affirmatio et negatio unius et eiusdem etc. Cum igitur nunc consequens non sit idem realiter cum antecedente vel cum parte antecedentis, manifestum est quod esto quod oppositum consequentis et antecedens forent simul vera, adhuc non esset affirmatio et negatio unius et eiusdem etc.

Sed respondet Bernardus dicens quod, licet ibi non sit contradictio formalis propter causam dictam, tamen est contradictio virtualis.
 35 Virtualementem autem contradictionem appellat ex qua potest evidenter

2 quintum corollarium] *iter. in marg. P1* 7 sextum corollarium] *iter. in marg. P1*
 18 antecedente] *e add. sed del. P2* 19 unam] *conclusio add. in marg. P1*
 23 in tali] *probatio add. in marg. P1* re] *parte P2* 26 evidenter] *notitia add. sed del. P2*
 27 adversario] *adversariis P2* 29 igitur] *consequens add. sed del. P2* 33 sed respondet] *responsio Bernardi add. in marg. P1*

inferri formalis.

Sed contra istud manifeste argui potest ex 5 et 6 corollariis supradictis, nam ibi ostensum est quod in omni consequentia reducibili incertitudinem primi principii immediate vel mediate oportet quod
 5 consequens primo datum vel ultimo sit idem realiter cum antecedente primo dato vel cum parte eius.

Item ex alio potest manifeste redargui, nam sic dicit quod, licet in consequentia in qua ex una re infertur alia non sit contradictio formalis, est tamen virtualis, ex qua potest evidenter inferri formalis. Sit igitur
 10 exempli gratia proposita consequentia ‘A est, ergo B est’. Si igitur ex istis propositionibus ‘A est’, ‘B non est’ posset contradictio formalis evidenter inferri vel igitur hoc esset rectitudo, consequens vel consequentia unius istarum propositionum || vel utriusque istarum propositionum, sed
 15 qualitercumque non haberetur propositum, nam ipsa consequentia vel essent idem realiter cum ipsis accidentibus vel non. Si eadem, igitur sic non erit contradictio formalis inter ipsa consequentia propter quod non esset ibi affirmatio et negatio unius et eiusdem sic nec inter accidentia sicut si non est contradictio formalis dicere quod homo esset et equus non esset sic nec esset contradictio formalis dicere quod animal rationale
 20 esset et quod animal hynnibile non esset. Et propter eandem rationem, si autem dicatur quod ista consequentia different a suis antecedentibus modo sicut prius consequentia non evidenter reducta ad certitudinem primi principii, cum oppositum consequentis posset stare cum quolibet significato per antecedens sine contradictione. Et, si dicatur quod est
 25 contradictio virtualis ex qua potest inferri formalis, procedetur ut prius, et ita procederetur in infinitum vel oportebit dicere quod in consequentia evidenti simpliciter consequens sit idem in significando cum antecedente vel cum parte significanti per antecedens.

P2 41r

Et verum est quod pater iste circa istam materiam dixit quod non
 30 esset verum dicere quod in consequentia evidenti simpliciter oporteat quod oppositum consequentis et antecedens contradicant, nam ait quod hic est aperta instantia ‘omne animal currit, ergo omnis homo currit’, nam contradictorium consequentis et antecedens possunt simul esse falsa, et ita non opponuntur contradictorie.

35 Sed in rei veritate istud nullo modo impedit, nam non volo dicere quod oppositum consequentis debeat esse contradictorium antecedenti, nam in multis consequentiis antecedens potest plus

2 sed contra] reprobatio illius *add. in marg. P1* 7 licet] *sup. lin. P1*
 9 formalis] *sig add. sed del. P1* 15 eadem] *propositum scilicet non add. sed del. P1* 27 antecedente] *et add. sed del. P2* 29 pater iste] *Bernardus add. in marg. P1* 35 sed in rei] *contra add. in marg. P1*

significare quam consequens, licet consequens significet partem illius quod significat antecedens, ut est in proposita consequentia ‘domus est, igitur paries est’, et ideo ratione huius oppositum consequentis et antecedens possunt || simul esse falsa. Sed volo quod in consequentia
 5 evidenti oppositum consequentis et antecedens vel pars significati eius opponuntur contradictorie. Manifestum est quod sic est in omni bono syllogismo, nam cum nullus terminus recipiatur in conclusione quin fuerit receptus in premissis, et ita oppositum conclusionis et aliquod significatum per premissas opponuntur contradictorie. Et ita debet esse
 10 in omni emptimemate bono, quia emptimema || non concludit nisi virtute propositionis subintellecte, et ita est mentaliter quidam syllogismus.

P1 22r

P2 41v

Item, ad conclusionem principalem adduxi talem rationem: numquam virtute alicuius consequentie potest inferri maior ydemptitas extremorum ad invicem quam fuit extremorum ad medium, quia hoc non infertur
 15 nisi virtute illius. Sed oppositum huius continget: si ex eo quod una res est ens posset evidenter inferri quod alia res esset ens, quia conclusionis predicatum et subiectum significant idem realiter. Ista vero non sunt idem realiter cum medio quod ponitur alia res.

Sed contra propositam regulam instat Bernardus, quia sequitur
 20 evidenter evidentia reducta ad certitudinem primi principii ‘albedo est, ergo alia res est quia albedo non posset esse nisi aliquid teneret ipsam in esse’. Item sequitur A est nunc primo, ergo alia res est. Item ignis est aproximatus stupe et non est impeditum, ergo calor erit.

Ad istas instantias alias dedi multas responsiones. Sed pro nunc dico
 25 quod, si instaret nulle talibus instantiis vel oportet quod dicat quod non sunt ad propositum vel quod, si sint ad propositum, nichil tamen concludunt contra me, quia vel in talibus consequentiis quas ipse facit consequens est idem realiter in significando cum toto antecedente vel cum parte antecedentis, et sic nichil ad propositum, quia tunc concederem
 30 eas esse evidentes et nichil contra me.

Si vero dicatur quod consequens non est idem cum antecedente aut parte eius, et tunc si concedo oppositum consequentis cum antecedente esse simul vera, patet quod non concedo contradictoria et cum contradictorio sit unius et eiusdem etc. Et sit talis consequentia:

8 aliquod] fi *add. sed del. P1* 11 quidam] ssil *add. sed del. P1* (in nota 11 quidam]) ssil] *dub. P1* 12 item] alia probatio conclusionis *add. in marg. P1* 14 hoc] *om. P2* 19 sed contra] contra regulam instat Bernardus *add. in marg. P1* contra] consequentiam *add. sed del. P1* (in nota 19 sed contra]) contra] conclusionem *add. sed del. P1* 22 est²] vel *add. sed del. P1*
 24 ad istas] respondetur *add. in marg. P1*

non est evidens evidentia primi principii, quia hoc appellabatur evidentia
 primi principii quando si concederetur oppositum consequentis stare
 cum antecedente concederentur contradictoria simul esse vera, licet
 enim concedens in ista consequentia ‘domus est, ergo paries est’ quod
 5 domus sit et paries non sit non concedat contradictoria simul esse vera.
 Ex eo quod iste propositiones non sunt contradictorie ‘domus est’ et
 ‘paries non est’, eo quod simul possunt esse false, tamen concedit || P2 42r
 contradictoria ex alio, quia significans domum esse significat parietem
 esse, et tunc contradictio est quod paries sit et paries non sit.

10 Ex ista regula sic declarata cuicumque habenti intellectum infero
 quod numquam ARISTOTELES habuit notitiam evidentem de aliqua
 substantia alia ab anima sua intelligendo substantiam quandam rem
 aliam ab oppositis quinque sensuum et a formalibus experienciis nostris.
 Et ideo est quia de tali re habuisset notitiam ante omnem discursum
 15 quod non est verum, cum non appareant intuitive. Et iterum rustici
 scirent tales res esse.

Nec sciuntur ex discursu, scilicet inferendo ex perceptis esse ante
 omnem discursum, quia ex una re non potest inferri quod alia res sit, ut
 dicit conclusio supraposita. Et si de coniunctis non habuit multo minus
 20 de abstractis habuit notitiam evidentem.

Ex hiis sequitur placeat vel non placeat nec michi imponant, sed
 rationem unigeniti quod ARISTOTELES in tota philosophia sua naturali
 et theologica lux habuit talem certitudinem de duabus conclusionibus
 et fortasse nec de una.

25 Et equaliter vel multo minus frater Bernardus qui non preferet se
 ARISTOTELI.

Et non solum non habuit evidentem notitiam, ymo licet non teneam,
 sed habeo unam rationem quam nescio solvere ad probandum quod nec
 habuit notitiam probabilem, nam aliquis non habet notitiam probabilem
 30 de alico consequente virtute alicuius antecedentis de quo non evidenter
 certum utrum consequens fuerit aliquando simul cum antecedente. Sic
 enim si quis bene consideret realiter notitia probabilis, ut quia michi
 fuit evidens, aliquando quod quando ponebam manum ad ignem eram
 calidus, ideo probabile est michi quod si nunc ponerem quod essem
 35 calidus.

2 consequentis | *om. P2* 10 ex ista | corollarium ex regula *add. in marg. P1*
 14 est | *om. P2* 17 nec sciuntur | corollarium *add. in marg. P1* 21 ex
 hiis | corollarium *add. in marg. P1* 23 talem | *sup. lin. P1* 25 et equaliter |
 corollarium *add. in marg. P1* 27 et non | corollarium *add. in marg. P1*

Sed ex regula supradicta sequitur quod numquam fuit alicui evidens quod positis istis rebus apparentibus ante omnem discursum essent quedam alie res, ut pote alie que dicuntur substantie, igitur sequitur quod de existentia earum non habeamus probabilem notitiam. Non
 5 teneo conclusionem. Solvat cui occurret solutio dictam rationem.

P1 22v,
 P2 42v

|| Et quod de alia anima coniuncta materiali alia ab anima nostra non habeamus certitudine, apparet quia de mento ligno vel lapide clarissime deducetur ex uno credito coaccepto, nam cum omnibus apparentibus ante huius discursum potest esse per aliquam potentiam,
 10 ut pote divinam quod ibi substantia non sit, igitur in lumine naturali non infertur evidenter ex istis apparentibus quod substantia sit ibi. Apparet consequentia ex supradecaratis, nam dictum est quod consequentia evidens in lumine naturali est simpliciter evidens, sic quod contradictio est quod per aliquam potentiam posset fieri quod oppositum consequentis
 15 stat cum antecedente.

Et si dicit quod consequentia est evidens, addito ad antecedens quod Deus non faciat miraculum. Istud reprobatur secundum ea que dicta in simili in epistula prima ad Bernardum. Suscipiatis queso pater ista dubia et consultatis insipientie mee et credo quod non ero obstinatus in
 20 suscipiendi veritate ad quam unibus totis hanelo.

1 sed ex] corollarium quod non tenet et merito quia modice aparentium est ut patet *add. in marg. P1* regula] res *add. sed del. P2* 5 solvat] ratio istius doctoris solvitur ex eo quod ad probabilem notitiam de alico non requiritur antecederet alico evidens ymo ex puris probabilibus sequitur conclusio probabilis ideo prima propositio qua remittat de probabili notitia est falsa nec exemplum suum valet ac propositum et regula non tollit nisi evidentiam non probabilitatis *add. in marg. inf. P1* 6 quod] quia *P2* 8 omnibus] *om. P2* 12 supradecaratis] *p. c. P2* 13 in lumine — evidens²] *om. P2* 14 quod¹] *om. P2* 19 in] *sup. lin. P2*